

FLORA.

N^o. 38.

Regensburg. 14. October.

1846.

Inhalt: Hochstetter, nova genera plantarum Africae. — Mettenius, Beiträge zur Kenntniss der Rhizocarpeen. Id., de Salvinia.

Verkehr der k. botanischen Gesellschaft im September 1846.

Nova genera plantarum Africae proponit et describit
Ch. F. HOCHSTETTER.

Continuatio.

(cfr. Flora 1841. I. p. 369. II. p. 657. — 1842. p. 225. — 1843. I. p. 69. — 1844. I. p. 18. und besondere Beilage zu T. III. u. IV.)

Leguminosae.

Eilemanthus (nomen derivatum ab *εἴλημα* (involucrum seu bractea) et *ἄνθος* (flos), propter flores inter bracteas reconditos).

Character generis: Flores parvuli racemuli inter bracteas magnas stipuliformes reconditi; calyx 5-fidus villosissimus laciniis subulatis parum inaequalibus; corolla papilionacea, calycem parum excedens; stamina 10 diadelpa; ovarium 2—3-ovulatum, stylus filiformis stigmatate capitato; legumen parvulum, oblongum, subcompressum, isthmis cellulosis inter semina 2—3-loculare, semina cubica laevia.

Ad Loteas Genisteas vel Galegeas pertinere videtur, foliis Anthyllidem, flore et fructu Indigoferam vel Heylandiam, bracteis Zorniam vel Flemmingiam strobiliferam referens.

Eilemanthus strobilifer Hochst. (Indigofera strobilifera Hochst. in pll. Kotschyi Nubicis nro. 236.)

Planta annua tota lanuginoso-villosa, caulis simplex vel ramosus, spithamaeus vel dodrantalis, folia impari-pinnata bijuga, foliolis jugorum ovato-oblongis vel ellipticis, impari simili majori; stipulae duae ad basin petioli ovato-lanceolatae obliquae; axilli omnes racemos patentes bracteosos strobiliformes emittunt; pedunculus strobilo brevior, bracteae strobilum formantes alternae, imbricatae, latissimae, ovato-cordatae, multinerves, apice inaequaliter bifidae (hinc e duabus ut

videtur connata et potius stipulae vocandae, si racemum ramum vocaveris), altero baseos lobo majori; pedicellus in bractea singula axillaris apice in ramulos 2—3 unifloros brevissime divisus, ramuli villosissime lanati e pedicello declinato assurgentes, cum hoc intra bracteas occulti; flores parvuli, calycis villosissimi dentes angusti, elongati, parum inaequales, corolla papilionacea coccinea calycem excedens, stamina diadelpa; legumen lineari-oblongum, duas vel tres lineas longum, subcompressum, turgidum, membranis tenuibus transverse septatum, di-trispermum; semen cubicum, pallide roseum.

Habitat in collibus arenosis ad montem Kohn in provinciae Cordofanae finibus versus Tekele, ubi Novembri ineunte anni 1839 plantam florentem et fructiferam legit Th. Kotschy.

Loxospermum (a $\lambda\omicron\xi\omicron\varsigma$ obliquus vel transversus et $\sigma\pi\acute{\epsilon}\rho\mu\alpha$, semen, propter semina in legumine transversim posita).

Character generis: Calyx tubulosus 5-fidus multinervis, dente (lacinia) infimo ceteris paulo minori. Petala libera marcescentia (non decidua), vexillum apice rotundatum alas non superans, carina obtusiuscula alis plus minus superata, stamina diadelpa a petalis libera. Stylus glaber, stigma capitatum. Legumen sessile, lineari-oblongum, compressum, polyspermum, dehiscens, calyce et corolla marcescente plus minus inclusum aut exsertum; semina transversim posita.

A Trifolio, cujus sectioni Lupinastro hoc genus habitu proxime accedit, differt vexillo breviusculo et carina liberis, staminibus non adnatis et fructu dehiscente polyspermo (seminibus 8—12) nec non situ seminum transverso. — A Trigonellae genere, cui primum adscripsi, corolla marcescente (persistente), legumine dehiscente et seminibus transversis, nec non habitu recedit.

1. **Loxospermum Schimperii** Hochst. (Trigonella Schimperii Hochst. et Steud. in pl. Un. it. exsicc. Schimperii Abyssinicus nr. 80.)

Caulis a basi ramosus, rami digitales vel spithamaei, glabri, folia ternata, petiolata, foliola anguste linearia integerrima glabra, apice tridentata, stipulae inferne membranaceae nervosae petiolo connatae dein subulato-setaceae, pedunculi axillares solitarii 1—2 flori, corolla calycem semipollicarem glabrum parum excedens purpurascens, carina alis et vexillo brevior, calycis tubus 25-nervis laciniis lineari-lanceolatis subulato-acuminatis parum inaequalibus (infima minor) duplo brevior; legumen corolla marcescente inclusum 16—12-spermum.

Herba habitu et foliis *Trifolium alpinum* L. aemulans, sed inflorescentia et flore aliena.

Habitat prope Adoam, ubi medio mense Septembri cum floribus et fructibus lectum est.

2. *Loxospermum multinerve* Hochst. (*Trigonella multinervis* Hochst. et Steud. in pll. exsicc. Un. it. Abyssinicus Schimperii nro. 300.)

Caulis a basi ramosus diffusus, rami 5—6-pollicares foliaque ternata longe petiolata glabra; foliola anguste lanceolata serrulata, apice mucronata, versus basin integerrima; stipulae petiolo adnatae nec non basi connatae membranaceae, dehinc liberae, apice longe subulatae; pedunculi folio subbreviores, axillares, solitarii, 3—5 flori, flores brevissime pedicellati; calyx tubulosus 25-nervis, albidus, laciniis tubum vix superantibus, inter se parum inaequalibus, subulato-acuminatis; corolla calycem parum excedens, coerulescens, carina alas et vexillum subadaequans; legumen calyce et corolla marcescente inclusum 7—8-spermum.

Loca humida vallium prope Adoam amat, ubi sub finem Septembris floriferum fructiferumque lectum est.

3. *Loxospermum calocephalum* Hochst. (*Trifolium calocephalum* Fresen. in Flora 1839 pag. 50. et pll. Abyss. exsicc. Un. itin. nr. 1279.)

Diplothea (a διπλος, duplex et θυκη, loculamentum, ob legumen bilocellatum.)

Character generis: Calyx tubulosus vel campanulatus 5-dentatus, dentibus duobus superioribus brevioribus latioribusque. Corollae papilionaceae vexillum alas aequans vel superans, carina obtusa. Stamina decem filamentis vexillari libero diadelphis. Ovarium stipitatum, multiovulatum, stylus adscendens, stigma capitellatum. Legumen compressum scariosum sutura carinali arcte introflexa complete bilocellatum, oligospermum vel polyspermum. Semina reniformia.

Habitu et legumine longe stipato ad Phacam proprius accedit, quam ad Astragalum, sed ab illa differt legumine complete bilocellato, ab utroque genere calycis laciniis duabus superioribus latioribus brevioribusque et legumine complanato.

1. *Diplothea abyssinica* Hochst. (*Astragalus abyssinicus* Steud. in pll. exsicc. Un. itin. ex Schimperii itin. Abyss. Nro. 252 u. 736.)

Caulis erectus 3—4-pedalis vel altior striato-sulcatus glaber;

stipulae foliaceae liberae, maximae, altero latere ovato-cordatae, apice acutae, folia 9—15-juga, glauco-viridia, pedunculus striatus, foliola oblongo-elliptica, subpollicaria, integerrima et glaberrima, apice mucronulata; racemi versus apicem caulis axillares terminalesque elongati; pedunculi sulcati, flores ochroleuci, legumina deflexa lineari-oblonga utrinque angustata complanata transverse venulosa, glaberrima, subpellucida, longe stipitata, apice acuta mucronata, semina in loculis singulis 4—5.

Ad latera montium vallis profundae Ferrfera nec non ad latus boreale montis Scholoda: nomen Abyssinicum: „Tatam Agassem“.

2. *Diplothea venosa* Hochst. (*Astragalus venosus* Hochst. in pll. Schimp. Abyssinicus exsicc. Un. it. nr. 190 et 1067.)

Caulis erectus bipedalis subangulatus, inferne glaber, superne pilis minutis appressis parce inspersus; stipulae prioris, sed multo minores, parum cordatae, folia 9—13-juga, foliola elliptico-lanceolata vel oblonga 4—6 lineas longa, integerrima, parce pilosiuscula, apice mucronulata, flores racemosi ochroleuci prioris sed fere duplo minores; legumina prioris, paulo tamen breviora, apice parum angustata, mucronata, semina in loculis singulis 3—4.

Ad ripas regionis septentr. montis Scholoda prope Adoam nec non in districtu Memsach prope Genniam ad radices montium.

3. *Diplothea atropilosula* Hochst. (*Astragalus venosus* Hochst. v. *atropilosulus* in pll. Schimp. Abyss. exsicc. Un. it. nr. 1235.)

Caulis a basi ramosus bipedalis vel altior, striatus, pubescenti-pilosulus; stipulae majores, quam in priori, nec tamen aequae magnae atque in prima specie, ovato-cordatae; folia prioris, sed foliola paulo majora (plerumque semipollicaria), racemi axillares terminalesque folio longiores; pedunculus, pedicelli, calyces et legumina pilis minimis atris appressis inspersi, flores purpurascens; legumina longe stipitata elliptico-oblonga, utrinque acuta mucronata, semina in loculis singulis 3—4.

Inventa prope Demenci in montibus Simensibus.

4. *Diplothea tigrensis* Hochst. (*Astragalus tigrensis* Hochst. in pll. Schimp. Abyss. exsicc. Nro. 241.)

Secundae speciei statura, habitu et foliis simillima: magis tamen glauca et legumina paulo minora, versus apicem retorta, subacuta nec mucronata, semina in loculis singulis 2—3.

Flores non vidi, sed ex leguminis forma species distincta esse videtur: nomen Abyssinicum: Hamat Kochata.

Inventa ad declivitates septentrionales regionis mediae et superioris montis Kubbi.

Berrebera (nomen plantae Abyssinicum, scilicet speciei primae).

Character generis: Flores magni racemosi, calyx campanulatus, obsolete bilabiatus, labio superiori truncato vel emarginato, inferiori tridentato; corollae papilionaceae petala quinque libera, vexillum emarginatum, alis carinam paulo superantibus longius, alae et carinae petala longe unguiculata, stamina diadelphica filamentis vexillari libero; ovarium sericeum, lineare, multi-ovulatum, stylo filiformi, sigmate crassiusculo; legumen breviter stipitatum lineari-elongatum, acutum, versus basin angustatum, plano-compressum, coriaceum, superne 3—5-spernum (ovula reliqua inferiora abortiunt, saltem in prima specie cui ovula 10—12), valvis inter semina et versus basin arcte cohaerentibus (hinc legumen vix dubie indehiscens); semina reniformia.

Genus Dalbergieis adnumerandum, a *Milletia* Wight. et Arnott., cui proxime accedit, carinae petalis liberis, ovario multi-ovulato et legumine 3—5-spermo lineari, nec non folio multijugo (7—13-jugo) foliolisque minoribus (quae folii constructio habitum diversum indicat) — quippe in *Milletiae* speciebus a generis auctoribus descriptis folia 2—3-juga magna reperiuntur) satis ut videtur diversum.

1. *Berrebera ferruginea* Hochst. (*Milletia ferruginea* Hochst. in sept. olim et *Sesbania ferruginea* in schedulis typo impressis ad nr. 279. in Sect. I. pl. Schimperii Abyssin. Un. itin., ubi planta florifera, et *Inga byrsinocarpa* in schedulis ad nr. 536 in Sect. II., ubi fructifera).

Fruticosa vel arborescens ramis ramulisque rubiginosis imparipinnatis multijugis (7—12-jugis), foliolis $1\frac{1}{2}$ —2-pollicaribus lineari-oblongis acutis brevissime petiolulatis, subtus cano-tomentosis, ad nervum et venas ferrugineis, stipulis lanceolatis, stipellis ad singula juga et folioli terminalis basin setaceis; racemis axillaribus elongatis, rachis, pedicellis calycibusque ferrugineo-tomentosis, corollis albidis sericeis, legumine 6—9 pollices longo, superne 10 lineas usque pollicem lato versus stipitem angustato, compressissimo, suturis incrassatis marginato, glabro.

Ad rivos montanos prope Adoam mense Junio 1837 florentem et

serius in valle Abyssinica profunda Ser Accaba fructiferum legit Schimper.

Seminum nuclei confriti et in aquam coniecti piscibus capiendis inserviunt, qui inde temuli fiunt.

2. *Berrebera caffra* Hochst. (*Milletia caffra* Meisn. in Hook. London Journ. VI. p. 99.)

Aequo jure hae duae species a *Milletia* separandae esse videntur, quo *Milletia* a *Pongamiae* genere. Si tamen magis placet, generis *Milletiae* caractere amplificato, huic possunt subscribi.

Meisnerum secutus ipse plantam nro. 1, quam primum *Sesbaniam* salutaveram, in manuscripto meo serius ad *Milletiam* retuli, sed postquam iteratis examinibus intellexi, plantam fructiferam, quae in schedulis ad nr. 536. *Ingae byrsinocarpae* nomine edita est, ad florentem illam (nr. 279.) referendam esse, ex fructu multi-ovulato proprium genus constituere satius visum est.

Piliostigma (a *πῖλος* et *σῖγμα*, propter stigma pileiforme).

Character generis: Flores dioici; ♂ calyx coriaceus tubo turbinate, limbo 4—5-fido, laciniis brevibus acutis; corollae petala quinque unguiculata, obtusa, subaequalia, calycis fauci inserta; stamina decem cum petalis inserta, omnia fertilia, filamenta basi villosa brevia, antherae lineari-oblongae, infra medium affixae; germinis rudimentum?

♂ Calyx similis 3—4-fidus, corollae petala quinque maris similia, sed paulo minora; staminum rudimenta subnulla; ovarium stipitatum, lineare, compressum, polyspermum, stigma pelviforme vel potius pileiforme, crassissimum, in ovario sessile.

Legumen coriaceum, late lineare (saepe arcuatum) compressissimum, bivalve, polyspermum, indehiscens; semina biserialia compressa, intra pulpam farinaceam nidulantia.

A *Bauhinia*, cui proximum genus, non solum floribus dioicis, et calycis laciniis brevibus, sed etiam stigmatis forma optime differt. Stigmatem ad *Peltogynem* Vogel accedit, sed styli defectu, calycis structura et ovario multi-ovulato recedit.

1. *Piliostigma pyrrocarpum* Hochst. (*Bauhinia inermis* Steud. — non Forskål, cujus planta ex descriptione diversissima — in pll. Abyssinicis exsicc. Un. it. nr. 712. *Bauhinia pyrrocarpa* Hochst. in Flora. I. pag. 99. et in pll. Abyss. exsicc. Un. it. nr. 1658.)

Arbor speciosa foliis coriaceis late ovato-cordatis, obtuse bilobis, 9—11-nervibus, eximie reticulato-venosis, subtus velutinis; floribus

racemosis vel subpaniculatis, racemis folio brevioribus, in planta foeminea plerumque paucifloris, calycibus cinnamomeo-tomentosis, petalis extus villosis-tomentosis; leguminibus spithamaeis tomento velutino rufo-cinnamomeo vestitis.

In Abyssinia prope Ferrokobo, ubi fructifera lecta Nvbri 1839, nec non prope Djeladjeranne, ubi florifera inventa Julio 1840. Cortex ramorum laqueis conficiendis inservit.

2. *Piliostigma reticulatum* Hochst. (*Bauhinia tamarindacea* Del. in plantis Kotschy ex itinere Nubico exsicc. nr. 301. *Bauhinia reticulata* DC. in Flora Senegambiae pag. 266.)

Complures adhuc species ab auctoribus *Bauhiniae* generi adscriptae ad nostrum genus pertinere videntur, sed specimina authentica examinare non licuit.

Annotatio I. Novum genus Leguminosarum *Acrotaphros*, quod STEUDELIIUS noster in schedulis ad plantas Abyssinicas Un. it. sub nr. 1298. protulit nec tamen hucusque descripsit, mihi certo certius *Rathkeae* (Schumacher) aut, si genus hoc Schumacheri non admittitur, *Pictetiae* (DeCandolle) species est, quam sic describo:

Pictetia (*Rathkea*) *pubescens* Hochst. (*Acrotaphros bibracteata* Steud. in pll. Abyssin. Un. itin. nr. 1298.). Frutex ramossissimus, ramuli brevissimi, saepe petiolorum reliquiis squamosi, folia impari-pinnata, 1—2-pollicaria, 6—8-juga, tomentoso-pubescentia, stipulae lineari-lanceolatae, ferrugineae, striatae, aridae (hinc subspinescentes), foliola 2—3 lineas longa, obovato-vel oblongo-elliptica, obtusa, mucronata, brevissime petiolulata, opposita vel alterna; racemi folio breviores subtriflori, bractee ad basin pedicellorum solitariae, lineari-lanceolatae, emarcidae, ferrugineae, bracteolae sub calyce binae, dimidia vel tertia calycis longitudine, viridulae vel rubiginosae (pedunculi, bractee, pedicelli, bracteolae et calyces pubescentes); calyx campanulatus quinquefidus (aut quadrifidus, si laciniam supremam semibifidam dixeris), lacinia infima reliquis obtusiusculis fere duplo longior, corolla majuscula, ex sicco rubiginosa vel dilute ferruginea, saturate nervoso-venosa, vexillum rotundatum profunde emarginatum, alae oblongo-ovatae, inferne intus foveolato-rugosae, carinaque semicircularis compresso-concava obtusae; legumen stipitatum, tortum, compressiusculum, moniliforme, longitudinaliter reticulate-venosum, pubescens, articulis 5—6 monospermis, ultimo in acumen rostriforme productum.

Habitat in vallibus districtus Abyssinici Schoata.

Omnia cum genere Schumacheriano Rathkea tam exacte congruunt, ut non intelligam, quibus notis generis novi typum sistere possit. Ni species Schumacheriana glabra appellaretur, hanc ipsam praesto esse existimaverim, cum etiam legumina venis longitudinalibus quasi striata sint (cfr. descriptionem Rathkeae in Endl. gen. pll. pag. 1283.). Male vero Rathkea glabra Schum. ab auctoribus quibusdam Pictetiae squamatae DC. subscripta esse videtur, cum descriptiones non quadrent; immo genus servandum esse videtur, diversum a Pictetia dentibus calycis inferioribus inermibus et leguminum articulis striato-venosis.

Nomen specificum Steudeli „bibracteata“ rejeci, quia ex notis characteris generici sumtum.

Annotatio II. Quae sub Erythrinae nomine edidimus specimina exsiccata Abyssinica, ad genus Meisnerianum „Chirocalyx“ (cfr. Hooker London Journ. 2. p. 97.) pertinere video. Sequuntur descriptiones:

1. *Chirocalyx abyssinicus* Hochst. (*Erythrina abyssinica* Lam.?). Arbor ramis aculeatis, cortice ramorum laevi glabro, novellis tamen, petiolis, pedunculis calycibusque tomentosus; foliis trifoliolatis, glabriusculis (ad nervos et venas tantum ferrugineo-tomentosis), stipellatis, stipellis obtusis glanduliformibus tomentosus, foliolis laterali-bus breviter petiolulatis oblique ovalibus obtusissimis, terminali longius petiolulato, triangulariter et dilatate rotundato; floribus in pedunculo elongato capitato racemosis, calyce tubulose-ventricoso, unilateraliter usque ad medium fisso, limbo in lacinias quinque lineares elongatas digitatim partito; corollis miniatis.

Prope Djeladgeranne in Abyssinia.

2. *Chirocalyx tomentosus* Hochst. (*Erythrina tomentosa* R. Br? in pll. Un. it. Abyssinica nr. 531.) Frutex priori simillimus, sed aculeis recurvis (etiam petioli plerumque aculeis sparsis horridi), foliis utrinque dense fulvo-tomentosis, nec non nervis foliolorum lateralibus paucioribus diversus ut videtur; flores rubri vel miniati, legumina (quae in priori specie non vidi) bivalvia, moniliformia, tomentosa, articulis globosis seminibusque globosis coccineis ad hilum macula nigra notatis.

Nomen Abyssinicum: „Soana“, quod colorem rubrum significat.

In valle Schoata nec non prope Adoam legit W. Schimper.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1846

Band/Volume: [29](#)

Autor(en)/Author(s): Hochstetter Christian Ferdinand

Artikel/Article: [Nova genera plantarum Africae proponit et describit Ch. F. HOCHSTETTER 593-600](#)